

No 1820.

2.

Q. F. S. F. Q.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI,

De

# JURE EPISCOPALI,

Quam,

Auspiciis Divinis,

*Ex indultu Ampliſſ. Facult. Jurid.*

*In celeb. Aboſi Athenæo,*

PRÆSIDE

*VIRO Ampliſſimo atque Conſultiſſimo,*

D. NO SAMUELE  
SCHULTEN, *n. r.*

Juris Patrii & Rom. Prof. Ord.

Publice Examinandam

d, 27. Junii A:o MDCCXXXIX. L. & H. C.

modeste offert

PETRUS FROST,

---

ABOÆ, Exc. Joh. Krampe, Reg. Acad. Typ.

*H<sup>r</sup> Baron Palmquist.*

Illustrissimi  
[Regii Regnique Sveciæ,  
In Magno Finlandiæ Ducatu,  
Dicafterii

**PRÆSIDI** Excellentissimo,

Itemque

**PRO - PRÆSIDI, CONSILIARIIS**

Atque

**ADSESSORIBUS,**

Generosissimis, Nobilissimis, Con-  
sultissimis, æquissimis,

Mæcenatibus, Patronis & Dominis  
meis Gratiosissimis,

**Benignissimis.**



Illustrissime Heros, Generosissimi Nobilissimique Domini!

**Q**uanti sit in republica prudentia Juris pretii, cum ex multis aliis, tum ex usu ejus ac necessitate judicare potest quilibet: Sane enim hæc scientia, rite sibi constans & cohærens, id sibi vendicat dignitatis, vt non solum

lum fundamenta tam publicæ, quam  
privatæ ponat felicitatis commodita-  
tisque, verum eandem etiam optime  
tueatur atque dirigat. Quod cum i-  
ta sit, non frustra Magnorum Viro-  
rum gratiam & favorem sibi pollicen-  
tur, qui, juvenes dum sunt, hujus tam  
præclaræ artis studium præ cæteris eli-  
gunt, eique ætatem & vires consecrant.  
Illustrissime Heros, Generosissimi ac No-  
bilissimi Domini, Mæcenas & Patroni,  
devotissima mihi humillimaque mente  
æternum suspiciendi! Ego certe præ-  
stantia legitimæ invitatus scientiæ, The-  
midis factus cliens, idem, cum pri-  
mum huc accessi, Vester simul esse  
cœpi; quo nihil potuit optatius mi-  
hi aut magis ex animi sententia eve-  
nire. Nunc autem studii hujus leve  
monu-



monumentum publice B. c. D. editurus, pii ac venerabundi officium esse animi duxi Vobis in primis illud humillime consecrare; Quod vt serena fronte excipiatis, nec prorsus rejicere velitis, est quod & fore confido, & supplex a Vobis audeo contendere. Conservet Te Illustrissime Heros vosque insimul viri Generosissimi Nobilissimique Deus T. O. M., justitiæ ac Legum vindices inexpugnabiles, olim jugiterque salvos, sospites & felices! Sic pia mente voveo ad extrema, usque fata permanurus

JLLUSTRISSIMI HEROIS

Nec non

GENEROSISSIMORUM NOBILISSIMORUM,  
QUE DOMINORUM

*Devotissimus humillimusque  
Cultor & Client*

PETRUS FROST.

*A Monsieur*  
**CHARLES LILLIESTIERNA,**  
Juge Provincial très equitable.

Comme il n'est, que trop vrai, que c'est une qualité propre à l'humeur bienfaisante & genereuse de faire bien à ceux, qui en ont besoin, sans égard à ses propres intérêts: Ainsi, Monsieur, il faut, qu'il soit par cette qualité éclatante, que Vous daigniez user toujours de tant de bienfaits envers moi. Or, Monsieur, pour marquer ma reconnoissance, j'ai osé Vous dedier ce petit ouvrage. Je ne suis pas assez présomptueux pour le croire digne de Vous être présenté; Tout son valoir dépend moins de lui même, que de Vôtre jugement. C'est pourquoi, Monsieur, je Vous supplie de le prendre en bonne part, principalement, comme il vient d'une intention entierement bonne & respectueuse. Au reste, je me contenterai de faire des vœux assidus pour Vôtre santé & prospérité, Vous assurant, que je suis & serai avec plus de zèle & plus de respect, que personne,

Monsieur,

Vôtre très humble, très obeïssant & très  
obligé Serviteur

PIERRE FROST.



*A Monsieur le Baron*  
**AXEL WACHTMEISTER,**  
Major de Cavallerie très magnanime.

**P**ardonnez moi, si je prens la liberté de mettre ici Vôtre Illustre Nôm ; C'est, parceque je l' ai trouvé fort propre pour donner quelque éclat à cette petite piece. Outre cela, Vous savez, Monsieur, que j' ai l' honneur d' avoir la conduite de Mrs les Barons Vos neveux, & que par consequent j' ai eu l' honneur d' être quelque tèm̄ dans la maison de M<sup>de</sup>me la Baronne, Agnes Christine Wachtmeister, Vôtre soeur, dont la vertu & les qualitez eminentes, & dont les bien-faits envers moi surpassent de loin tout ce, que j'en saurois dire ; C' est même là, où j' ai eu le bonheur de Vous approcher, & de recevoir de Vous beaucoup de graces: ainsi, Monsieur, agréez le gage de ma reconnoissance & de mon respect. Daignez, je Vous en supplie, m' honorer toujours de cette grace de Vôtre bonté & condescendance. De mon côté, je ne cesserai jamais de prier Dieu pour Vôtre prospérité & celle de toute Vôtre Illustre Famille, & de montrer avec combien de zèle j' ai l' honneur d' être.

Monsieur,

Vôtre très humble, très obéissant  
& très obligé Serviteur

PIERRE FROST.


VIRO Amplissimo atque Consultissimo,  
D: no DAVIDI NEHRMAN,  
Juris Patrii & Rom, Professori in regia Academia  
Lundensi, longe Celeberrimo,  
Mæcenati ac Fautori perpetim suspiciendo.

*E*tiamsi non multum a vero abesse videntur istud Laërtii,  
Lib. 4. C. I., effatum; Nihil, inquietis, apud ho-  
mines celerius senescere, quam beneficium & gra-  
tiam; Vix tamen semper & ubique id locum habere potest.  
Celeberrime Consultissimeq; Domine! ego certe, si Tua  
in me merita meo in animo aboleri ulla paterer vetustate, in-  
gratissimus pene mortalium forem. Ex multis autem & fere in-  
numeris unicum illud heic liceat mihi commemorare, quo  
per triennium plane Tuo auctu & auspicio in Juris studio  
frui mihi licuit; ex quo quantum profecerim, me nun-  
quam penitere potest. Accipe igitur, Vir Celeberrime, hunc  
à me grati animi laboris Tui fructum, mihiq; conserva  
illum antiquum favorem & benevolentiam prorsus singula-  
rem, quo me prosequi ante es dignatus, nec ex animo Tuo  
memoriam mei, fidei's Tui Clientis, aboleri unquam sinas.  
Quod reliquum est, opto, dum spirare potero, ut vitam  
peræque longævam ac faustam ducas semper! Dab. Aboc d.  
17, Non. Jun. a: o MDCCXXXIX,

Celeberrimi Nominis Tui

Cultor observantissimus  
PET. FROST.





§. I.



**E**PISCOPI nomen, quod hæc nostra præfert dissertatio (1), esse originis græcancæ, quilibet facile perspiciet; Nam ἐπίσκοπος, latine visitare, speculari item prospicere significat. Hinc ἐπίσκοπος, quasi dicas, speculator sive Inspector, (2.) appellatus; quia cura Ejus, saltem præcipua, (3.) circa visitationem & inspectionem Ecclesiarum (4.) versatur. JURIS autem verbo hic intelligitur qualitas moralis, Episcopo competens, ad aliquid juste agendum vel habendum, quæ obligationem Ejus ac officium simul quoque comprehendat.

A

(1.) Uti-

(1.) Utilem, imo necessariam Juris Cultori esse Juris Episcopalis cognitionem, vel ex eo patet, quod id ipsum est pars Juris Publici, quod ignorare eum decet minime. Debet enim in omnibus causis, quæ ipsi aliquando, ut judici fortasse, fuerint dirimendæ, verum sequi, justum ab injusto, licitum ab illicito, æquum ab iniquo discernere; quod nullo modo fieri potest, si ipsum jus ignoret. vid. *Regul. Judic. S. 1.* Quin, si recte ab *Ulpiano* definitur Juris prudentia, quod sit rerum divinarum atque humanarum notitia *L. 10. S. 2. ff. de J. & J. juris sacri peritiam esse Juris Studio nec necessariam, sequitur omnino.*

(2.) Suehice appellatur *Uppsøns Man* *öfver andra*, vid. *R. R. Ord. 1686. Cap. 21 S. 1.* *Silföns Man* uti *Stiftet öfver Guds församling*, *ibid. Cap. 24. S. 1.* qui mores & vitam populorum infra se positorum, speculatur & respicit. vid. *J. P.*

*Lancelotti Instit. Jur. Canon. Tom. 1. L. 1. T. 5 p. 44.* Hoc autem nomen de curatoribus & inspectoribus negotiorum quoque civilium usurpatum fuisse, liquet ex *Ciceronis Epist. ad Attic. Lib. VII. p. m. 109.* ubi, vult, inquit, me Pompejus esse, quem tota hæc Campana, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & negotii summa deferatur. cfr. *Pet. Gudellini Comment. de Jur. Noviss. Lib. VI. Cap. IV.*

(3.) vid. *Aff. C. XX. v. 28. 1. Pet. C. V. v. 2.* & plura Scripturæ loca; item *R. R. Ord. C. 24. S. 1, 2. & seqq.* Quamvis non sit diffitendū, quin, si ad singulas muneris Episcopalis partes attendatur, aliæ sint, quæ directe adeo huc non spectant. Cujus rei explicandæ ansa nobis infra dabitur.

(4.) Nunc quilibet Episcopus suas habet Ecclesias, certo quodam regionis tractu determinatis, suæque fidei & curæ mandat; Qui tractus, universitatem seu



complexum personarum, jurium  
& rerum denotans, Dioecesis  
seu Episcopatus, perinde ac  
alias, propter paritatem ra-  
tionis, Principatus, Ducatus,  
Comitatus dicuntur, audit. vid.  
Boehm. J. Eccles. Protestant.  
Tom 1. p. 771. Quod autem

olim secus fuisse, limites-  
que Dioecesium circa finem  
demum seculi XI. poni coe-  
pisse, Adam. Bremens. indi-  
care videtur; de qua re vid.  
Oernbielmii Hist. Eccles. p. 128.  
cfr. tamen Wild, Hist. Pragm.  
p. 367.

## §. II.

**H** nunquam non dignitate (1.), autorita-  
te (2.), juribus & privilegiis suis, iisque  
sub papatu multo, quam nunc, insignioribus  
(3.) gavisi sunt; Quibus eos vel Principum  
piorum munificentia ornaverit (4.), vel Pon-  
tificum Romanorum summa versutia, in Hierar-  
chia firmiter stabilimentum, munierit (5.), vel  
superstitionis glaucomate tunc laborans gens Sveo-  
gothica imprudenter cesserit (6.), vel ipsi de-  
nique, arrogantiae forsitan & avaritiae perciti ce-  
stro, sibi vendicaverint (7.). Non enim te-  
mere alias gravioresve immensae eorum sub pa-  
patu potestatis causas deprehendes,

(1.) Vestigiis humilitatis  
Christi ejusque Apostolo-  
rum tantum abfuit, ut Cle-  
rus papalis vel (saltem hu-  
jus primores insisterent, ut

illam humilem sortem se  
potius indignam prorsus vi-  
deantur judicasse. Hinc fa-  
ctum, ut ante satis non ha-  
berent, quam & purpura  
fulge-

4  
fulgerent; Episcopus enim  
Senatores Regni que Prima-  
tes olim in v u fuit eligi,  
*Cip. 8. Reg. Bl. L. L.*: Quam  
tamen dignitatem partim i-  
psos affectasse, partim eis,  
eruditionis sapientiaque ha-  
bita ratione, vltro fu-  
isse oblatam, creditur. Sæ-  
penumero enim ejusmodi  
in deliberationibus publicis  
quæstiones occurrere so-  
lebant, quarum decisiones  
haud vulgarem, insignem  
autem industriam rerum-  
que peritiam, qualis Cleri-  
corum fere existimabatur,  
desiderarent; Huc spectare  
videntur, quæ in *Ronunga*  
*Styrellen* ita habent: *Ly att*  
*Ronunga of Höfdinga stulu*  
*umgånga med Klerikdom i*  
*mångom Sakom, att låta*  
*skrifva of tydha bref of*  
*mångafad ärende of råknjng,*  
*ther the mågo ett uthan vara*  
*i styrlifom landa of almoga.*  
Quantum autem hi reliquos  
Regni Senatores, inter quos  
supremum obtinebant locū,  
dignitate antecederent, ex  
numero equorum armos-  
rumque apparatu facile ju-

judicare possumus, quo E-  
piscopi, aut ad Regem,  
aut ad visitandum Ecclesi-  
as, aut aliorum ituri, lon-  
ge majori, ac illi ornaban-  
tur, vid. *Cip. 23. Reg. Bl. L.*  
L: At tempore reformatio-  
nis sub gloriosissimæ memo-  
riæ Gustavo I. perantiquus  
hic mos in ordinem Sena-  
torium Episcopus attollen-  
di demum obsolevit.

(2.) Non lubet autorita-  
tem Episcoporum in nego-  
tiis tum secularibus, tum  
Ecclesiasticis hic commemo-  
rare, cum de hac re alius  
foran opportunior fuerit  
dicendi locus. Mihi satis  
hic erit observasse solum,  
quod, quemadmodum di-  
gnitas illorum maxima, ita  
autoritas haud certe mi-  
nor exstiterit. Quid? quod  
ne regiam quidem majestae-  
tem omnino illibatam reli-  
querint; id quod historia-  
rum monumenta satis com-  
probant, vid. *Stiernbock ad*  
*Jur. Sv. G. Goth. ver. p. 401.*  
(1) Horum præcipua se-  
quens § ostendit.



(4.) In veteri juramenti formula, qua sese Principes, imperii solennia capessentes, obstringere solebant, primus obtinet articulus: at the skulle ällra Gudh och the helgha Kirlio, och Rätt henna storlia &c. vid. 4. Cap. Kg. D. L. L. Privilegia, toti in univrsam Clero a Rege Magno Ladulasto concessa, hic inserere visum est: Omnibus, presentes literas inspecturis Magnus, Dei gracia Svecorum Gothorumque Rex, salutem in Domino sempiternam. &c. &c. Cum a potentibus inimicis & variis insidiis Dei omnipotentis sola gracia sumus hactenus liberati; - - - Ea propter dignum ducimus, ipsum in omnibus, præcipue tam in rebus, quam in personis venerari, suo obsequio peculiariter deputatis, quos operis sui & ovillis vicarios præesse voluit & pastores; sane cum sicut digne nobis a memoria non excidit prius in nostra coronacione omnes possessiones ecclesiasticas in regno nostro a causis omnibus & ju-

ribus regalibus reddidimus liberas. Ita tamen, quot bona, quæ devolverentur ad Ecclesiam post provinciale concilium, cui Telghis cum venerabilibus patribus Domino Archiepiscopo Upsalensi & suffraganeis interfuimus, cum suis oneribus transferentur, dignum arbitrati sumus, in festo coronacionis predilecte conjugii nostre, circa predilecta bona nostra beneficia cumulare. Quæ enim differentia inducitur, quare honoris prerogativas sibi a Deo collatas, quas nobis jungunt Lex, honorus & affectus maritalis, nostras non debeamus in omnibus & per omnia reputare. Indulgentia itaque nunc temporis indulgentia perpetuo in posterum valitura, ut omnes ecclesie & ecclesiasticæ personæ, in regno nostro constitute, sub nostra protectione maneanz plena securitate gaudentes, acerbissima contra transgressores nostra vindicta procedente; Concedimus etiam eisdem omnia bona sua mobilia & immobilia, que ecclesiarum nomine possidentur, sive fuerint ecclesiarum cathedrali-

aralium, sive inferiorum ecclesiarum, cum familiis in eisdem commorantibus, sive per villicos regantur, sive per colonos, sive per inquilinos, sive etiam per novalium excultores, ab omni jure regio & a causis omnibus regalibus, solutionibus quoque vulgariter dictis Skipwist, Spannema, Aetergiald, Ledoxlama, ac tallis, muneribus, exactionibus omnibus, seu quibuscunque tributis, rebus vel personis impostis vel imponendis, quibuscunque nominibus censeantur, ac si specialiter & nominatim essent expressa, libera penitus & exempta &c. &c. Dat. Sudercopie. A:o MCCLXXXI, die coronacionis predictæ conjugis nostre, videlicet beati Olavi Regis & Marryris. Notat hoc in diplomate D. Wilde, quod, cum Regi esset persualum, confirmationem privilegiorum Clericorum inter juris & honoris Regalis prærogativas esse numerandam, non dubitaverit, Reginam quoque ejusdem reddere participem, (vid. ejus hist. Pragm. p. 417.) Eadem hæc

ce Privilegia Rex Birgerus, Magni filius, diplomate, dato A:o MCCCVI. Dominica latere Jerus. Seregnesia, confirmavit, (vid. ibid. p. 421.) Quidam autem in jura privilegiaque Clericorum, speciatim Episcoporum, contulerint Reges Svercherus, Caroli filius, Ericus Canuti, Johannes, dictus Unge, & Ericus Lespe s. Balbus, cum prolixum nimis foret hic commemorare: L. H. ad D. Wilde p. 380. seq. delegamus. Alios taceo Reges.

(5.) Arcanum politicum Papæ hoc erat, quo Clerum univèrsum, in primis autem Episcopos benevolentia sibi obstrictos retineret; Quorum itaque captans studia Gregorius VII. literis Ingonem & Halstanum, Reges, admonet inter alia, ut Sacerdotibus, præcipueque Episcopis, reverentiam atque obedientiam, quasi Patribus, procurent impendere: nec non & decimas, qua ad usum ipsorum proficiant, dare, totique regno indicere &c. (vid. Dernbielmis



liff. Eccles. p. 332.) Literas Bonifacii VIII., Papæ, licet prolixiores, quia tamen in rem plurimum valent, non pigebit annexere: Bonifacius, Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Clericis laicos infectos esse, oppido tradit antiquitas, & presentium experimenta temporum manifeste declarant, cum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita freno relaxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in Clericis, Ecclesiastica sive personas & bona, interdicta potestas. Ecclesiarum Prelatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, Regalibus & secularibus imponunt onera gravia, ipsosque calliant, & eis collectas imponunt; - Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate statuimus, quod quicumque Prelati, ecclesiasticaque persona, velligiosa & seculares, quorumcumque ordinum, conditionis seu statuum, collectas vel callias, decimam, vicepsimam seu

centesimam, suorum & ecclesiarum proventuum vel bonorum laicis solverint, vel promiserint, vel soluturos consenserint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum, estimationis aut valoris ipsorum, subadjutorii mutui, subventionis, subsidii vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo vel pretio, colore, absque auctoritate sedis Ecclesia nostre, nec non Imperatores, Reges seu Principes, Duces, Comites vel Barones, Potestates, Capitanei, officiales vel Rectores, quocumque nomine censeantur, Civitatum, Castrorum, seu quorumcumque locorum constitutorum ubilibet, & quivis alius cujuscumque præ eminentia, conditionis vel status, qui talia imposuerint, exegerint vel receperint, vel apud ades sacras deposita ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, sasuerint, seu occupare præsumperint, vel arrestari, sasiri aut occupari mandaverint, aut occupata, sasata seu

seu arrofata receperint: nec  
 non omnes, qui scientes in pra-  
 dictis dederint auxilium, con-  
 siliium vel favorem, publice  
 aut occulte, eo ipso sententi-  
 am excommunicationis incur-  
 rant. Universitates quasque,  
 qua in his culpabiles fuerint,  
 Ecclesiastico subponimus inter-  
 dicto, Praelatis & personis ec-  
 clesiasticis supra dictis in vir-  
 tute obedientiae & sub depofi-  
 sitionis poena districte mandan-  
 tes, ut talibus absque expres-  
 sa licentia dictae sedis nullate-  
 nus acquiescant. Quodque pra-  
 terea iujuscunq[ue] oblationis,  
 promissionis & concessionis fa-  
 ctorum haecenus, vel facien-  
 dorum jam antea, priusquam  
 hujusmodi constitutio, prohibi-  
 tio seu praeceptum, ad notiti-  
 am ipsorum pervenerit, nihil  
 solvant, vel dicti receperint,  
 in excommunicationis senten-  
 tiam incidant ipso facto; A  
 supra dictis autem excom-  
 municationis & interdicti sen-  
 tentiis nullus absolvi valeat,  
 praeterquam in mortis ar-  
 ticulo, absque sedis Apostoli-  
 cae auctoritate & licentia spe-  
 ciali; cum nostra intentionis  
 existat, tam horrendum secu-  
 larium potestatum abusum,  
 nullatenus sub dissimulatione  
 transire. Non obstantibus qui-  
 buscunq[ue] privilegiis, sub qui-  
 buscunq[ue] tenoribus, formis  
 seu modis, aut verborum con-  
 ceptione, concessis Imperatori-  
 bus, Regibus & aliis supra-  
 dictis, quae contra praemissa,  
 in nullo volumus alicui vel a-  
 liquibus suffragari. Nulli er-  
 go omnino hominum liceat hanc  
 paginam nostrae constitutionis,  
 prohibitionis seu praecepti in-  
 fringere, vel usu temerario  
 contraire. Si quis autem hoc  
 attemptare praesumpserit, indi-  
 gnationem Omnipotentis Dei &  
 beatorum Petri & Pauli Apo-  
 stolorum ejus, sibi noverit man-  
 suram. Dat. Roma apud S.  
 Petrum VI. Martii, pontifica-  
 tus nostri anno secundo. (vid.  
 Wild. hist. Pragm. p. 418.)  
 Summa harum literarum  
 est, quod neque clerici,  
 cujuscunq[ue] denum sortis,  
 pensionem, quocunq[ue] sub  
 titulo, laicis solvere debe-  
 rent, neque hi in Ecclesi-  
 asticas



asticas personas jus vllum sibi arrogare eam exigendi. (6.) Cum videret populus Principes regni non ipsos solum tam sollicitos in augendo jura Cleri, vid. *Not.* 4. hujus §, verum ad ea etiam, quæ a Pontificibus hunc in finem jubebantur, exequendum studiose paratos: religioni ipsum habuisse quidquam contra hæc jura tam sancta sustinere, quis miretur? Populus enim autoritate plerumque nititur exemploque Principum.

(7.) Caput & quasi mens vastissimi corporis, quod constituebat Clerus, Papa erat; membra vero Episcopi, cæterique inferioris sortis sacerdotes: In corpore jam Physico, vbi omnia sese recte habent, mentem appetitui præcuntem mem-

bra sponte sua sequuntur, idque hoc lubentius, quo jucundius vel vtilius ducatur objectum, quod adpetimus. Idem quoque in corpore hoc morali vsu venisse, autumo. Papæ, tanquam capiti, nihil antiquius fuit, quam suam dignitatem, autoritatem juraque, diminutis aliorum, præter Clericorum, adaugere, aucta vero sarta rectaque habere; Impulit vero eum, sine dubio, ad hoc in primis ambitionis avaritiæque inexplebilis affectus. Suavis admodum, vt mirari satis nequeamus, in his omnibus consensus erat membrorum cum capite suo; sed quid mirum? cum tantæ ad ipsos commoditates inde redundarent, quantas vix fingeres, & sequens §. paucis ostendere debet.

### §. III.

**A**T triplicis omnino generis sub papismo fuere jura Episcoporum: Primum genus est eorum, quæ *ordinis* (1.); Alterum, quæ *jurisdictionis* (2.); Tertium & vltimum, quæ *multarum*,

B

Episco

Episcopo competentium, (3.) omnibus ex causis & criminibus ad forum Ecclesiasticum (4.) spectantibus, nec non reliquorum ejus redituum erant (5.).

(1.) Omnino notandum hic est, distinctionem inter *jura ordinis* atque *jurisdictionis*, a Pontificiis primum inventam, ut ineptam, explosisse *Rob. Parkerum in polit. Eccles. L. 2. C. 34.* Id quod & *Zieglerus ad Lancelott. L. 1. p. 123. n. 143.* videtur velle; neque tamen eo fecius eam retinet, sed sensu ab illis diverso, adeo ut per potestatem *ordinis* intelligat illam, quæ, vi ordinationis, absque vlla jurisdictionis specie, Ecclesiæ ministris confertur; per *jurisdictionis* vero potestatem, quæ speciem habet jurisdictionis, & cum illa quodammodo convenit. Mavult autem in primis ideo *Zieglerus* hanc distinctionem repudiatam, quod Pontificiis jure *ordinis* intelligant illud, quod Episcopis, vi

ordinis, adeo fit proprium, ut a reliquis ordinibus ministrorum Ecclesiæ exerceri nequeat; nec non, quod potestatem jurisdictionis velint esse proprie talem; Quorum neutrum ei placet. Sed salva res est: Distinguamus modo inter *jura ordinis*, omnibus in universum Presbyteris cum Episcopis communia, & illa, quæ his solum propria sunt; *Jurisdictionis* autem potestatem talem interpretemur, qualem patriæ Legibus descriptam eam reperiamus: Hoc enim pacto, sine offensione, distinctionem hancce retineri posse, existimamus omnino. Id vero etiam notatu dignum videtur: Pontificios ne ipsos quidem, discernendo ea, quæ *ordinis*, quæque *jurisdictionis* sint, inter se congruere, *Ordinis jura*



jura, sub papatu Episcopis propria, ex Legum patria monumentis sequentia nobis traduntur: 1:0 *Consecratio*; hæc autem varii generis erat: nam quamvis 4. *Gl. Hæll. L. de consecratione tantummodo ædium sacrorum vel templorum loquatur*; hanc tamen latius se extendisse, patet ex *Cap. 4. *Grif. B. L. L. & Upl. L. 13. Gl. Krist. B. Ostg. & Biskuper a Kirliu wighie of Kirliugard, trismo, Klåreka, kall, Korporale, måssuklådhi, floekufu, altara of altaraflådhi.** 2:0 *Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio, seu ministrorum Ecclesie constitutio, vid. 4. Gl. Krist. B. Ostg. L. & Wm. L. nec non 4. Gl. Kirliu B. Gøderm. L. cum consensu tamen parochianorum*; hoc enim indicant verba: *Bøndar seulu med Biscops wilsja Præst til wålja*: sc. tres parochiani presentare debebant; ex his autem unum Episcopus debebat constituere. 3:0 *Ecclesiarum visitatio, vid. 13. Gl. Krist. B.*

*Ostg. L. Nu ær Biskuper stýla duger siri tiundha sin hwart tridia ar til Gofu loma &c. Quodnam hic inter alia negotia ejus officium fuerit singulare, significatur verbis: *Eða a han solk sárma, vel secundum Jus Ecclesiasticum Westrogothicum, bøn sárma*; Cujus ritus forma erat, quod Episcopus frontibus puerorum paulo adultiorum oleum illinebat, his usus verbis: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris &c.* 4:0 *Templorum cœmiteriorum, polylutorum mandatio, vid. 16. & 22. C. *Grif. B. L. L. 15. & 22. Gl. K. K. B. Upl. L. &c.** (2.) *Huc referimus 1:0 Veniam foundationis templorum concedendi*; de qua ab Episcopo impetranda parochianis vid. *Cap. 1. K. K. B. L. L. & Upl. L. 2. Gl. K. K. B. Wg. L. 1. Gl. K. K. B. Gøderm. L. Wm. L. & Hæll. L.* Quod tamen Principi, templum ædificaturo, Episcopi concessio minus neces-*

saria fuerit, evincit 1. Gl. Krist B. Östg. L. Rununger later Kirku byrja. 2:do Jus excommunicandi, vel potestatem clavium, 13. Gl. K K. B. L L. & Upl. L. 25. Gl. Krist B Östg. L. 19 Gl. K K. B. Helt L. &c. 3:tio De detestis personarum ecclesiasticarum, 13. Gl. K K B L L cfr. *Suerleri Regis tit. dat. A incarn. Dom. MCC. (ap. D:im Wilde p. 380.)* nec non de causis, ita dictis, spirituantibus potestatem juicandi; De qua 22. Gl. Krist B. Wm. L. ita in genere: *Ehwarjehanda mal af andilikum Gakum thät är, of är fore vätter matsägande, tha skal Bisko per thät leta, effte sannaste wtnom, thom han kan sa, of effte thy döma han sannast hittir.* Scilicet Episcopi Principem, circa plurimas causas, ad forum Civile pertinentes, facultate jus dicendi privarant, eademque sub specie quidem religionis, re autem vera, quod Hierarchiæ totidem viderentur fulera, ad fo-

rum Ecclesiasticum pertraxerant, cfr. *Celeb. Prof. D. Nehrmanni Process. Civil. p. 77. §. 52.* Quo factum est, ut non solum Ecclesia Rempubli- cam constitueret ab seculari plane distinctam, verum etiam Clerici a suprema Regis jurisdictione in Ecclesiasticis se prorsus eximerent, cfr. *Stiernboek de Jur. Su. & Gorb. vet. Cap. ult. p. 431. item C C. 15, 16 & 20. K K B L. 18. Gl. Krist. B. Wg L. &c.*

(3.) Inter redditus Episcoporum papalium non dubitavi his ipsis primum assignare locum, cum vel ipsi, sine dubio, potiori eos loco habuerint. Harum autem vel sexcenties in Legibus patriæ fit mentio multatarum, vid. K K. B. L L. nec non L L. provinciales passim. Et quamvis cum Ecclesia actoreque multam nonnunquam deprehendamus partitam, cfr. *Stiernboek p. 410.* maximam tamen Episcopus earum partem sibi vendicabat. Ne ve-



ro Episcopo, sed Regi multa omnis in posterum solveretur, sancitum fuit per *Ordinationem Arosensem de A.º 1527. & Decretum de A.º 1528.*

(4) Postquam, vt *not. 2.* dictum est, Ecclesia cœpit esse instar Reipublicæ: distinctio simul orta videtur inter *forum Ecclesiasticum & Civile*; Qua quidem hodie etiam utimur, sed sensu plane dispari. Ecclesiasticum enim forum a Civili omnino est dependens.

(5.) Præter commemoratas *n. 3.* multas ex causis Ecclesiasticis, varii Episcopis alii reditus erant. *Cap. 4. R. R. B. L. L. & Upl. L. 13. Pl. Krist. B. Östg. L. 7. Pl. R. R. B. Hells. L. &c.* loquuntur de decimis Episcoporum, *Gregorii VII. Papæ, ad Ingonem & Halstanum, Reges, literæ n. 5. ad §. 2. supra citatæ, triplicem decimarum, inter Episcopum nempe, Ecclesiam & pauperes partitionem innunt, vid. Oernbielmii hist. Eccles. p. 334.* Sine dubio partitionem

ex æquo hic intelligeres; observavit autem *Stiernbæk p. 409.* in legibus patriæ nonnullis partitionem decimarum talem, vt triens semper Pastori cederet, bes vero reliquus trifariam divideretur, data Episcopo vna, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus parte. Ut cunque sit, decimis suis ex omnibus fere civium fructibus & accessionibus annuis Episcopos haud fuisse defraudatos videtur; vid. *Doll. Erici Benzeli monum. hist. Eccles. Svio-Gorb. p. 74.* Biskop Zerpulff var födder i Huarsö by, han gjorde landet eni stadgo å nn; Hvar Bonde (i. e. Bosast man) skulle göra tiendhe af thet Gudh honom gaff, om han skulle bára hatt eller Biskops staff. Nissens Nådgh, efter Rorkions na Lagh, samticta til thet på enn Herredagh. Lex Helsingica, qua per omnem plagam aquilonarem, piscium ferarumque captura in primis ditem, valebat, de decimis Episcoporum speciatim

im ita decrevit: *Bis* super  
*tali hwan sãmp* tandhi *Lay* ,  
*si*depund , *swa* el af *Sial*  
 el *grastinnum* , vid. 7. *St.*  
*R. R. B.* d. *Legis.* Porro  
 ex *historiarum* monumen-  
 tis quoque constat, sedibus  
*Episcoporum* adnexa quon-  
 dam fuisse certa prœdia,  
*Staffbo* & *Stoolsbo* dicta,  
 ex quibus *reditus* *Episco-*  
*pis* omnino *illibati* cessere;  
 Erant enim ab omnibus o-  
 neribus atque *tributis* præ-  
 standis *immunia*, cfr. *lit.*  
*Magni Ladulasii n. 4. ad §. 2.*

supra allatas. Atque hi  
 quidem *stati* erant *reditus*.  
 Insuper & alii, minus ta-  
 men certi, eos manebant;  
 ex, gr. *hæreditates* *Clerico-*  
*rum* *caducæ*, vid. *Cap. 14.*  
*Arfd. B. Wg. L.* *solutio* pro  
 consecratione *templorum*;  
*Svethice gengidæ*, vid. *Cap.*  
*4. R. R. B. L. L. & Upl. 1.*  
*2. Cap. Krist. B. Ostg. L. & C.*  
 Incerti sc. erant, non qui-  
 dem *ratione* *quantitatis* &  
*qualitatis*, sed omnino *ra-*  
*tione* *temporis*, quando  
 percipiendi forent.

#### §. IV.

NON igitur medioere erat, quod *Episcopis*  
*Papalibus* *competebat* *autoritatis* *dignitas*  
*isque* *fastigium*, nec *jurium* *tenuis* *περὶ τὰ*  
 Quocirca *mirari* *convenit*, *leges* *patriæ* *vetu-*  
*stas*, si quando *accideret*, *Episcopum*, *officii*  
*neglecti* *ratione*, *compellari*, *nihilominus*, *ut*  
*fieret* *illud* *coram* *Rege* *vel* *Principe* (1.), *im-*  
*perasse*. In *cæteris* *namque* (2.) *non* *Regis*,  
*sed* *Pontificis* *Romani*, *aut*, *hujus* *qui* *per-*  
*sonam* *sustinebat*, *Archiepiscopi*, *steterunt* *ju-*  
*dicio* (3.). *Hic* *rursus* *nullius*, *nisi* *supremum*  
*Papæ* *tribunal* *venerabatur* (4.). (1.)



(1.) vid. *Stiernhoek de J. Sv. & Goth. vet. p. 431.* Id ipsum quoque, ut alia taciteam loca, *Lex Upiandica*, nec non *Christophoriana Cap. 4. R. R. B.* planis utraque verbis præcipit: *Wil est Bisshoper sidhan Kirksio wighia, tha kárin Bónder sigg fore Konunge.* Huc quoque videtur spectare *Cap. 20 R. R. B. & L.* nec non *Hels. L. alla stadh: thet Bisshoper will est Bóndanomi rátt giorá, Tha ágher bonde waldh at kára sigg fore sinom Konunge.* Quamvis, si ad alia respiciamus tempora, in hujusmodi quoque causis, Episcopos omni subtractos fuisse iudicio laicali, reperire licet; id quod ex literis *Alexandri, Papæ, n. 3.* infra producendis, satis luculenter adparet. Quas non ita multo post secutum est regium *Svercheri diploma*, quo statuit & perpetua lege tenendum firmavit, ut Clerici, divino cultui mancipati, pro criminibus, sibi objectis, vel delictis, quoquo modo commissis,

*nunquam in futurum ad laicale proraberentur iudicium &c.*

(2.) Causis sc. mere spiritualibus, forum Civile prorsus respuentibus. Non est tamen dubium, quin Pontifices, etiam in civilibus, Clericos suæ subesse jurisdictioni, præoptaverint; quod magno studio inculcant eorum literæ, ad diversos *Sveciæ Reges*, diversis temporibus, missæ; Præterea quoque *Felicianum de Oliva*, Scriptorem Pontificium, *Bæhemus in J. Eccles. Protest. L. II. Tit. II. p. 1008*, inducit ita ratiocinantem: *Certum. ait, indubitatumque est, clericos in spiritualibus subesse Pontificibus, incommoda autem multa inde oritura, si in civilibus iudicio seculari subessent, cum nemo sufficienter duobus dominis possit servire.*

(3.) Videantur *Alexandri III. literæ ad parochianos Upsalenses*, quæ sic habent: *Alexander, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, universis Upsalensis Ecclesiæ parochi-*

rochianis, salutem & Apostolicam benedictionem. Suggestum est nobis, & quorundam relatione monstratum, quod quidam vestrum diabolica suasio-  
 ne commoti, adversus Ecclesi-  
 arum Prelatos insurgere con-  
 suerunt, & diversa eis cri-  
 mina objicientes, ipsos super  
 his laicorum judicio stare so-  
 liti sunt cohercere. Unde, quem-  
 admodum res mira omnibus vi-  
 deretur, si ovis pastorem su-  
 um jugulare deberet, aut in  
 eum sententiam damnationis  
 proferre, universitati vestre per  
 Apostolica scripta mandamus  
 atque precipimus, quatenus  
 alia de cetero in animarum  
 vestrarum periculum, nullate-  
 nus attemptetis: sed venera-  
 bili fratri nostro S. Archiepi-  
 scopo vestro, quem nos ob sa-  
 lutem & profectum vestrum ad  
 partes illas direximus, sicut pa-  
 tri ac pastori vestro, debitam  
 in omnibus obedientiam & re-  
 verentiam humiliter exhibeatis,

nec eum aut alium quemlibet  
 Ecclesia Prelatum coram laicis  
 accusare, seu ad seculare ju-  
 dicium trahere presumat. Jam  
 dicti siquidem Archiepiscopi per-  
 sona nullius examini, prater-  
 quam Romani Pontificis, no-  
 scitur subjacere. Quare quod  
 alicui Regi seu Principi lici-  
 tum nequaquam existit, vo-  
 bis non debetis contra salutem  
 vestram usurpare, quemadmo-  
 dum exinae omnipotentis Dei  
 indignationem possitis non im-  
 merito plurimum formidare.  
 Dat. Beneventi VI. Id. Novemb.  
 ( vid. Oerthelmii H. E. C. IV.  
 p. 534 )  
 ( 4 ) Id ex allatis Alexandri  
 literis quoque satis clare  
 patet. Archiepiscopum et-  
 iam in publico confesso se-  
 cundum a Rege locum ten-  
 nuisse, testatur Städtg. om  
 Konungsl. och Fürstl. råttigo  
 het: den 27. Jan. 1582. Sed  
 hinc ad alia pedem promo-  
 verus.

§. V.

**H**isce igitur breviter præmissis, sequitur, ut  
 de juribus Episcoporum nostri temporis (I.)  
 vide-



videamus. Qua in re commodiori forsitan procedemus via, si, homonymia vocis Episcopi delibata, paucis explicare conemur: Primum, Quinam eligi possit Episcopus (2.); Deinde, a quibus, & quomodo electio peragatur; Denique, varios electionis, legitime peractæ, effectus (3.).

(1.) Periodus hæc nostra cum *Gustavo Erici* aeternæ memoriæ cœpit. Cum hoc enim Rege novam Ecclesia faciem, novum habitum sibi induit; Cimmericæ papatus tenebræ, saluberrima affulgente Evangelii luce, magis magisque evanuerunt; Immodicæ Clericorum opes juste modificatæ; Elati nimium, sacri sub specie zeli, spiritus aliquatenus repressi; Fundamenta status rerum

in patria Ecclesiasticarum longe beatiora sanioraque jacta fuerunt &c.

(2.) Exigunt sc. LL. patriæ certas qualitates mörum ac doctrinæ in eo, qui eligi debeat in Episcopum; Ea vero paucis heic observare convenit.

(3.) Exserunt sese verò hitum in ipso munere, tum juribus & privilegiis Episcoporum. De quibus singulis infra videbimus suo loco.

### §. VI.

**A**D homonymiam vocis Episcopi quod attinet, solent eo nomine venire: Primum, Archiepiscopus (1.); Deinde, simpliciter dicti Episcopi, alias suffraganei (2.); Tandem, qui

qui his parum inferiores censentur, Superintendentes (3.). Quare cum generale sit nomen Episcopi: de his omnibus & singulis, quæ dicturus infra fuero, intelligi volo.

(1.) Inter hos eminent Archiepiscopus, Cleri totius Regni Sveciæ Præsul: Item, skal Erchie-Biskopen warda hällen för den myndigaste i blandh alt Clerkerh, och han såsom andre Bisper elliest niuta sitt tilbörliche anseende och öfwer hela Riket på sitt embetes wägne. *R. Sigismundi Försk. angående Religionen den 16. Martii 1594.*

(2.) Sveciæ Lhd. Biskopar, Stadg. den 27. Jan. 1582. D. nominationis rationem in propatulo esse existimo, cum ea alia esse nequeat, quam, quod ita, in relatione ad Archiepiscopum, appellantur.

(3.) Protestantibus Episcopi valde exosum fuisse nomen, ob nimium, quod sibi jam dudum Episcopi Catholici vendicaverant fastigii, juriumque invasionem

alienorum, quo ipso a statu Ecclesiæ primæ omnino illi recesserant, atque hanc ob causam, isthoc repudiato, Superintendentis nomen lubentius receptum, refert *Bahm. in 7. Eccles. Protest. L. I. T. 31. p. 778.* Quam autem ob causam, num eandem, aut aliam fortasse, & quando vigere in patria hoc ipsum nomen cœperit? quætionē non facimus nostram; nec est illa quidem hujus proprie loci. Nobis heic sufficit scire, quod in sua quilibet horum diœcesi pari, ac Episcopi, officio, pari munere fungantur. vid. *Cap. 24. §. 17. R. R. Ordn.* Ut hwad här om Biskopar förmåst år, bör och til Superintendenterne lampa, som stå med them uti lika plicht och Embete. Quocirca iisdem



dem quoque juribus, necesse est, gaudeant. Vnde colligere licet, inferiores hos Episcopis esse ratione tantum prioritatis, non potestatis: Illa sc. in conventibus publicis Episcopis semper concessa reperitur,

sine dubio, partim ob amplitudinem diœcesium, partim, vt justus inter vtrosque ordo seruetur; hæc autem loco proxime cit. Superintendentibus atque Episcopis omnino æqualis describitur.

### §. VII.

**P**rimum igitur in eo, qui eligendus est Episcopus, desideratur, vt sit veræ Evangelicæ doctrinæ & Religioni addictus. (1.) Quod ni ita esset, per eum summus Imperans desideratum haud obtineret finem, veræ Religionis puritatem conservationemque. (2.)

(1.) Omni sc. tempore, postquam in patria nostra diu latè depressa veritas Evangelij effulsit, sedulo & probe cautum, ne cuiquam munus vllum, nedum sacrum, idque gravissimum, quale est Episcoporum, committeretur, nisi Evangelicam profitenti Religionem; vid. Rq. Sigism. Gørsf. m. Febr. 1594. Dr. Christ. Gørsf. den 7. Dec. 1644. Gørsf. d. 6. Jun. 1654. d. 18. Dec.

1672 Deras Kongl. Matt. ters allernådigste Gørsf. den 21. Febr. 1719. den 22. Martii 1720.

(2.) Qui vult finem, vel etiam media censetur, ad finem perducentia. Quod, vt verum est in omni sana Philosophia, ita neque hic ejus valori quidquam decedit. Scopus & finis inter præcipuos Principis, Religionis est conservatio atque integritas, Gørsf. den

21. Martii

22. Martii 1720. §. 1. Idque Religioni viros, per quos tanto magis, quanto firmitus est Religio tranquillitatis civilis & imperii diuturni fundamentum, Reg. Form. 1720. §. 1. Ergo necessario vult etiam tales hunc expeditissime obtineat finem, praticere: Et sic necessarium quoque est agnitio veræ Religionis futuri Episcopi requisitum.

## §. VIII.

**O**Mnino autem eligendus Episcopus debet quoque literis esse apprime instructus (1.); Nam, si in aliis commendatur doctrina, in iis profecto, qui Doctores se aliorum profitentur, valde indecora ruditas est literarum (2.); Et vix doctrinæ destitutus facultate Episcopus spartam suam rite ornare valet. Literas autem hic innuo non tantum eas, quæ sacrarum illarum sunt sacrorumque dogmatum (3.), sed &, quæ Philosophiam sanam sobriamque respiciunt (4.).

(1.) Quamobrem jure Justiniano vetitum etiam reperimus, ne idiota ad Episcopatū adscenderet. Nov. 6. c. 1. De Episcopi ordinandi morib. Ec. §. 2. & 6. De Clavo, a Capitulo Vpsaliensi olim in Episcopum lecto, testatur Nim. Brön. p. 184.

Thet war en god wäl ghesder Man,

Master Dloff swa heet han. Et jus Ecclesiasticum hodiernum tales vult eligendos, som wid Academier, Gymnasier, eller uti andre förnähme Embeten hafwa giordt sig kunnige och wäl förtiente, solida sc. doctrinæ laude atque præstantia, vid. Cap. 20. §. 1. R. R. Ordn.

(2.)



(2.) Doctorem esse aliorum & rudem tamen literarum, contradictionem sapit vix ferendam; Quocirca monere decet, ruditatem hic indicari non simpliciter talem; qualis nempe, vulgi propria, Doctoris cum titulo stare prorsus nequit; sed, quæ, interdum satis crassa, magnifico sub Doctoris pileo celari potest, & fortasse solet. Qualis autem fucus, ut vel infimo Doctorum gradui vix conveniens esse potest: Ita Episcopo, supremo inter eos loco, constituto, nihil quidem magis indignum videtur; In quo namque tantum abest, ut aliqua tolerari debeat ruditas, ut potius tantum in eo doctrinæ scientiæque requiratur, quantum in præstantissimum quemque cadere, ob status humani imbecillitatem, queat.

(3.) Sacris in literis debet in primis esse versatus; ex his enim & ipse, & per Ministros, sibi commissos,

verbum Dei verum Ecclesiis curabit prædicandum, & S. Ord. Cap. 24 §. 1. Verissima autem sunt verba, quæ in 1. Reg. Judic. deprehenduntur: att han icke tienar til en Domare, som icke vet hvad Lagen innebåller, åfwen såsom han icke tienar til Predikare, som icke vet hvad i Skriftene står, och hvad grund och mening thet uti är. Quin, si consilium sequi velit *Thomasii in not. ad Lancelot. L. I. Tit. VII. p. 93.* S. Scripturas ad amussim calleat, &, si fieri possit, ediscat, imo, ad exemplum tam Ezechielis, quam Johannis, prorsus comedat librum divinum. Quæ res tanto majoris videtur necessitatis, quanto is magis tenetur, ubi opus fuerit, hæreticis & impugnantibus veræ fidei argumentis, ex ipso sacro fonte petitis, strenue occurrere. Ne vero quis officiorum & rituum sacrorum imperitus laicus mox Episcopus eligeretur, olim *sedule*

dulo cavit *Justinianus*, *Nov.* 123. c. 1. §. 2. At ejusmodi in patria nostra Episcoporum imperitia non videtur metuenda; Nam neque laici eliguntur, neque impuberes, nec per saltum nostris in terris fit electio: Quare, cum per gradus inferiores sit ascendendum, vix fieri potest, quin officia ritusque sacros, antequam in Episcopatu adparuerint, edidicerint.

(4.) Quod Theologiam sacrasque literas Episcopum oportet scire, expedita jam res est; huic autem castam ancillari Philosophiam, inter omnes constat. Neque igitur hæc omittenda est Episcopo. Quamvis enim, ut optime ratiocinatur *Thomas*. l. c. n. 3. ratio religionis principia sumat a lumine fidei, tamen, hoc lumine præeunte, ex hisce principiis secundum normas bonæ & necessariæ consequentiæ impressas ab ipso Deo creaturæ rationali, & solet & debet

judicare, quomodo partes cœlestis doctrinæ inter se cohæreant, & se mutuo stabiliant, quid cum illis consentaneum, quid ab illis dissentaneum sit. Nec ulla ratio est, cur existis memus, quam in Thimotheo commendat Apostolus 1. *Tim.* c. 4 v. 6. καλὴν διδασκαλίαν intra limites solius Theologiæ subsistere. Legitima scientia, recte applicata, nulli vnquam nocuit; Quin, huic potius acceptum est ferendum, quod muneribus dextre obeundis ii in primis, qui practico gaudent ingenio, aptiores redduntur. Jurisprudentia autem Ecclesiastica carere omnino nequit: Est vero hac habitus rite intelligendi & interpretandi L. L. Ecclesiasticas, easque ad casus obvientes apte applicandi. Hanc Jurisprudentiæ particulam Sacerdos quilibet inferior tenere debet, vid. *Kongl. Resolut. p. Präst. Græge puncter den 4. Julii 1689.* §. 5. nedum Episcopus,



cui, ratione officii, causas *skal grant weta Lagen, ther*  
 incumbit Ecclesiasticas se- *han ester dōma skal, ty La-*  
 cundum has L. L. cognosce- *gen skal wara honom fōr en*  
 re & dirimere. *Domaren rettelse Dom Regl. §. 6.*

§. IX.

**S**ed parum Ecclesiæ proderit doctrina, quan-  
 taquanta fuerit, Prælatorum, nisi vitæ mo-  
 rumque integritas ei decenter responderit; Plus  
 enim conjuncta valent. (1.) Hinc pronò quasi  
 alveo fluit, nec posse, nec debere in Episco-  
 pum legi, nisi qui piæ & inculpatæ vitæ ex-  
 emplo præluere aliis poterit. Arque hæc qui-  
 dem, jam recensita, requisita sunt Episcopi  
 palmaria. (2.) Reliqua a Canonistis curiose  
 magis, quam utiliter quærentur (3.). Nos  
 autem ea, ut minus necessaria, silentio præ-  
 tervehimus.

(1.) vid. *Cap. 20. §. 1. R. R.*  
*Ordn: i låra och lesverne*  
*the skickeligaste. Commemo-*  
*raturu dignissima sunt illa*  
*Chrysostomi verba: Si, in-*  
*quientis, bene docueris &*  
*male vixeris, tui solius*  
*condemnator eris. Nam*  
*bene vivendo & bene do-*  
*cendo populum instruis,*

*quomodo debeat vivere:*  
*bene autem docēdo & ma-*  
*le vivendo Deum instruis,*  
*quomodo te debeat con-*  
*demnare. Proinde quoque*  
*ait Babm. in J. Eccl. Protest.*  
*L. 1. Tit. 14. p. 477. Qui*  
*docent, non tam sanos*  
*mores, quam sanam do-*  
*ctrinam requiri in mini-*  
*stro*

‘stro Ecclesiæ ( Episcopo )  
 ‘magnopere falluntur, cum  
 ‘vtriusque potius conjungi  
 ‘debeat. Quod si ædifica-  
 ‘tor, domum excitaturus,  
 ‘destrueret vna, quod altera  
 ‘nuper extruxerat manu:  
 ‘quid, quæso, inde aliud  
 ‘fieret, quam, vt omnem hic  
 ‘laborem profunderet? Cum  
 ‘tamen, junctis ambabus in-  
 ‘vicem auxiliariis manibus,  
 ‘bene succederet opus. Par  
 ‘omnino est ratio Episcopi,  
 ‘quippe qui docendo, præ-  
 ‘dicando, exhortando ole-  
 ‘um fere & operam perdet,  
 ‘nisi doctrinæ, prædicatio-  
 ‘ni, exhortationi inculpa-  
 ‘ta vita bonisque moribus  
 ‘pondus quasi addat.

( 2. ) Quæ in Episcopo qua-  
 ‘litates requirantur, eas re-  
 ‘censet Apostolus 1. *Tim. C. 3.*  
 ‘v. 2. *seqq.* quas quoque in  
 ‘compendio repetit 1. *Tim.*  
 ‘*C. 4. v. 7.* nec non *Episto-*  
 ‘*la ad Tit. C. 1. v. 7.* Has ex-  
 ‘plicuit *Bæhm. in Jur. Paroch.*  
 ‘*sect. 3. C. 1. §. 48. seqq.* &  
 ‘alii. Ipsum quoque Jus Ro-  
 ‘manum sanxit, vt in ordi-

‘nando Episcopo considera-  
 ‘retur primum ejus vita,  
 ‘secundum sanctum Aposto-  
 ‘lum, si honesta & inculpa-  
 ‘bilis & vndique irrepres-  
 ‘hensibilis sit, & in bonis  
 ‘testimonium habeat, & sa-  
 ‘cerdotem decens, vid. *Nov.*  
 ‘6. C. 1. §. 1. Causam addit,  
 ‘*Nov. 137. C. 1. §. 1.* Nam,  
 ‘inquit, si ad orandum pro  
 ‘populo destinati, indigni  
 ‘divino ministerio invenis-  
 ‘antur, quomodo pro trans-  
 ‘gressioibus & delictis po-  
 ‘puli Deum propitiare po-  
 ‘terunt? Sed intra patriæ  
 ‘oras maneamus: Constitu-  
 ‘tio Ecclesiastica *Cap. 26. §.*  
 ‘1. eligendos docet the theer  
 ‘fructa Gud, hafwa ett godf  
 ‘rychte, åre redelige och sano  
 ‘färdige, hata girigheten; Et  
 ‘*Cap. 24. §. 1.* eorum officii-  
 ‘um esse: til at söregå an-  
 ‘drom med goda exempel och  
 ‘ett oförargeligit lefverne.  
 ‘Cedro etenim digna sunt  
 ‘illa *Ambrosii* verba: nulli,  
 ‘dicentis, illicitum esse vi-  
 ‘detur, quod ab Episcopo  
 ‘quasi licitum perpetratur;



'Sed ipsum magis credunt  
'homines esse laudabile,  
'quicquid Episcopus habue-  
'rit delectabile; Nec quis-  
'quam, quod agere Ponti-  
'fex non dubitat, se dubi-  
'tanter agere dicat. Tan-  
'dem *Forma Regim. S. 40. cir-  
ca fin.* qualitates has Epi-  
scopi palmarias non obscu-  
re indicat: På det af de  
föreslagne den måtte förord-  
nas, som genom grundelig  
Lärdom, nist om den Ewan-

geliste religionen och ett  
exemplariskt lefverne-gjorde  
sij der til wärdig.

(3.) Qualia sunt illa, qui-  
bus disquiritur: quam  
atate debeat esse eligen-  
dus? Num spurii, num  
corporis quodam nævo la-  
borantes possint eligi? An  
paupertas generisque ob-  
lucritas inter requisita fu-  
turi Episcopi numerandæ?  
Et plures ejusdem farræ-  
ginis quæstiones.

S. X.

SEquitur, ut quibus comperat jus eligendi  
Episcopum, paucis ostendamus. Id vero  
ex definitione electionis satis, ut puto, ad-  
parebit: *Est autem Electio trium (1.) ad va-  
cans munus Episcopale, personarum, indultu Re-  
gio jussuque, (2.) a Capitulo (3.) sui ipsius  
totiusque Cleri nomine (4.) legitime facta no-  
minatio (5.); Earumque unius alicujus ab  
Sera Ræ Majestate constitutio & confirma-  
tio (6.).*

(1.) vid. Reg. Form. 1720. S.  
40. Ratio legis ubi nris,

Candidatos munerum quo-  
rumlibet vacantium Tres  
D coram

coram Regia Majestate præsentari, ea esse censetur, ut ex numero præsentatorum Principi sit facultas dignissimum constituendi. Ejusmodi quoque præsentandi, quoad numerum Candidatorum, rationem Jure Justinian. usitatam fuisse, reperimus. *Nov. 123. §. 1. de sanct. Episc.* Quamquam in duabus, nec non vna quoque persona, sicuti minus invenirentur idonei tres, decretum fieri licebat. *d. §. 1. versu: si vero, ut &c.*

(2.) vid. *R. R. Ordn. Cap. 20. §. 1.* efter *Wår erhållne tillåtelse och befallning &c.* Nimirum veluti Principis est curare, ut cuncta in Republica ordine & decenter fiant; ita Ejus quoque est impedire, ne societates in Republica Ecclesiasticæ juribus suis abutantur. Hoc circa nominationem Episcopi, si unquam, cum non mediocre sit damnum, quod inferre Republicæ potest Episcopus ineptus,

indoctus atque perditus, videtur observandum; Et cum Regale sit jus constituendi Episcopos: non posse hujus tam sacri juris particulam, qualis est nominatio, absque expressa S:æ M:tis jussione & venia usurpari, sponte sua sequitur.

(3.) Vacantis nempe dioceseos. Quamvis autem penes cœtum univèrsum & singula ejus membra (nisi aliud sit constitutum) jus vocandi ministros Ecclesiæ sit, vid. *Cap. 19. §. 7. R. R. Ord. cfr. Brunnem. J. Eccles. L. I. C. 5. §. 4.* tamen propter singularem illam *virtutem*, muneri Episcopali adhaerentem, nec debuisse, nec potuisse horum vocationem plebi committi, videtur; Quippe cum tanti momenti negotium consilio & prudentia majori, quam ea, quæ in vulgus cadit, opus habeat: Capitulo relinqui debuit. Forfan & in turbas factionesque pronum vulgus hoc jure necesse fuit exui; Id quod



quod in Occidente plebis ab electionibus demum excludendæ ansam inter alia præbuit, vid. *Balm. J. E. Tom. 1. L. 1. Tit. 6. §. 7.* Capitulum autem habet, præter ipsam nominandi facultatem, jûs quoque vota Clericorum colligendi, eaque ad S:am R:am M:tem transmittendi, *R. R. Ord. Cap. 20. §. 3.* In nominatione autem Archiepiscopi omnibus per Sveciæ Regnû Capitulis sua sunt vota suffragiæque integra. *R. R. Ord. l. c. §. 4. Reg. Form. 1720. §. 40.*

( 4. ) Quibus jus nominandi competat, evincit *Constit. Eccles. Cap. 20. §. 1.* Secundum Jus Canonicum, non constitutus in sacris nequit eligere, vid. *Lancelot. Instit. Jur. Canon. L. 1. Tit. 7. §. 2.* Profecto, cum invitis Episcopum non conducatur obtrudere: Summus Legislator voluit, quod & ipsa ratio syadet, ne ab Episcopi nominatione excluderentur ii, qui ejus inspe-

ctioni forent subjecti. Ante vero quam nominationi se accinxerint, consueta sacramenti formula obstringere se Clerici debent, vid. *R. R. Ord. Cap. cit. §. 2.* Sed hoc ad modum & formam electionis, de qua in §. seq. agam.

( 5. ) Hæc indicatur verbis nämna och föreslå, *R. R. Ord. Cap. 20. §. 1. & 3.* Apud scriptores Juris Canonici atque Ecclesiastici vocabulum Electionis & nominationis variis in locis promiscue vsurpatur. Nos autem vocem nominationis potissimum heic adhibemus, quæ Electionem præcedat; Atque illa quidem Capituli, hæc vero, stricte loquendo, Principis est; prout hæc distinctio satis perspicua est ex verbis *Constitutionis Eccles. Cap. cit. §. 3.* Så Wijs ( Princeps ) sedan wese utvälja en af them, som nämnde och föreslagne warda. Ex utroque vero actu, & nominandi, & ex nominatis v-

num quendam constituen-  
di, demum absolvitur E-  
lectio, cujus definitionem  
jam paulo ante exhibui-  
mus. Non nego quidem,  
quin *l. c. §. §. 2. & 3.* actus  
quoque hic Capituli indi-  
cetur nomine vaal; ve-  
rum tamen aliis in locis e-  
jusdem Capituli eadem hæc  
adeo mox explicatur vocu-  
la, ut adpareat, ea nihil  
aliud, quam nominatio-  
nem tantum significari.

(6.) Ex nominatis ut plu-  
rimum vnus quidam eligi-  
tur. Possè autem nonnun-  
quam evenire, ut Princeps

alium quempiam, nulla  
horum habita ratione, e-  
ligat, quem bene meritum,  
munerique Episcopali a-  
ptum iudicaverit, *Constit.*  
*Eccles. Cap. 20. §. 3.* monet  
quidem; verum cum hoc  
rarius viu veniat, nec præ-  
ter nominatos temere quis-  
piam constituatur, *Rongl.*  
*Majats allernädigste Gersif.*  
*den 22. Martii 1720. §. 10.*  
*Reg. Form. 1720 §. 40.* su-  
pervacaneum duxi in defi-  
nitione Electionis ad ca-  
sum ejusmodi extraordina-  
rium attendere.

### §. XI.

**A**D formam igitur Electionis veniamus; Di-  
stinctio modorum Electionis per *inspiratio-*  
*nem, compromissum & scrutinium* (1.) ad nos  
non spectat. Fit autem vocatio Episcopi, se-  
cundum jura patriæ, per vota & suffragia libe-  
ra (2.), convenienti Legibus ratione editas.  
An vero mandatario committi, aut per lite-  
ras votum reddi queat? hic oritur questio.

(1.) Distinctione, qua *in- spirationem, compromissum &*  
*ter modos eligendi per in- scrutinium* distingunt, v-



tramque complent paginam Canonista. Nos satis habemus hoc loco observasse tantum, quid sibi velint præfati eligendi modi. Per *Inspirationem* itaque dicitur fieri electio, quando omnium suffragia, unanimi consensu, a divino quasi excitato spiritu, in unam personam conferuntur, nullo præcedente pacto vel tractatu, nec scrutinio concurrente; *Compromisso* peragi dicitur, quando unus vel plures e Capitulo, vel etiam extra illud, modo hi Clerici fuerint, diliguntur, iisque per compromissum potestas eligendi confertur, ut vices omnium subeant. Per *scrutinium* vero fit, cum præsentibus omnibus Electoribus, tres de Collegio fide digni assumuntur, qui secrete, diligenter & sigillatim vota cunctorum exquirunt ac scrutantur, & demum in scripturam reducta publicant. Ultimum hunc eligendi modum, per

scrutinium, in Capitulis Protestantium etiamnum attendi, tradit *Barb. in 7. Eccl. Tom. I. L. I. Tit. 6. p. 309. seqq.* Quod hujusmodi eligendi modi nullius sint in patria usus, unusquisque facile videt. (2.) Supponimus autem iudicium de rei peragenda gravitate verum, nec non peccus pravis affectibus commune. Enimvero cum nominationem auspiciaturi, se Ecclesie salutem, Religionis robur ac securitatem, & personæ consequenter industriam, probitatem, dexteritatem, postposito quovis alio consilio illicito, esse respecturos, juramenti religione promittant, *R. R. Ord. Cap. 26. §. 2.* ab hoc officio declinare eos decet minime. Itaque culpandi sunt omnino, qui pro obtinenda vi votorum, promissionibus, precibus, pretio, minis aut alia quacunque ratione illicita aggredi alios non dubitant. Quid enim, si hoc non est, mer-

mercari Ecclesiam? En vero facinus foedum dictu, patratu foedissimum! nullo non tempore Ecclesiam dehonestans, idemque, ut censuere Patres, quod in Ecclesia nascente commisit Simon Magus, *Act. C. 8. v. 18. segg.* Cui propterea, teste *Bahnero in 7. Eccles. Prorest. T. IV. p. 655.* horren-

da adduntur praedicata: Appellatur enim, *pisculare flagitium; simoniaca haeresis; execrabile flagitium; capitale crimen; haeresis, qua ante omnes in radice pessima subrepsit, atque in ipsa origine, Apostolica detestatione, est damnata; lepra spiritualis; inexpressibilis venditi mysterii culpa; aliaque generis ejusdem.*

## §. XII.

**S**unt, qui putent, procuratori quidem demandari votum posse, minime vero per literas reddi (1.); Cujus diversitatis rationes afferre idoneas difficile videtur; Nam si prius fieri licite potest, cur non & posterius? Vtriusque enim eadem est ratio. At neutrum nostris legibus licet (2.).

(1.) Est hoc dogma Juris Canonici satis perplexum, vid. *C. 46. de Elect. in. 6. J. P. Lancelot. in Inst. 7. Can. P. 1. p. 63.* duas adducit illius positionis rationes. 1:0 Quod non ante, sed ipsa in electione; 2:do secrete & sigillatim vota singulorum sint exprimenda. Quasi vero magni referret,

vtrum mandatario, an vero tabellario votum committeretur. Nam & in priori casu procuratori votum demandatur ante electionem, nec posteriori, literas obsignatas necesse esset prius resignare, quam ipso in actu eligendi, pro ut in not. ad *Lancelot. l. 1. c. observat Zieglerus.*

(2.)



(2.) Obstat enim sacramentum corporaliter præstandum. vid. *R. R. Ordn. Cap. 20. §. 2.* Refert. *Job. Paponius L. I. Tit. 3. Arest. 11.* in Gallia hoc neque permitti; hanc addens rationem, quod in hujusmodi negotiis absentes non possint intelligere rationes, quæ hinc inde agitantur, & ex quibus suffragia sæpe variant. vid. *Ziegler. ad Lan. celot. P. I. p. 61. n. 75.*

### §. XIII.

**V**ocatum autem, necesse est vel consentire vocationi, vel eandem abnuere (1.); Cæteroquin inanis hæc erit & frustranea (2.). Fieri etiam nonnunquam potest, ut rationes alicui fuerint renuendi plane sufficientes (3.). Consensum seu acceptionem satis prodit silentium; postque factam vocationem acquiescentia; Animus vero invitus declaratur excusationem mox interponendo idoneam. Quod si autem quis causas ob minus justas vocationem detrectaverit; argumentis & rationibus is primum videtur vincendus (4.); Quibus parere si noluerit, in ejus locum alium substituere difficile non erit. Coactio autem omnis & inutilis est, & ab actus natura abhorrens (5.).

(1.) Consensui declarando constitutiones patriæ, seu certum terminum præstitit minus necessarium, omittunt. Episcopales enim dicunt. *Episcopales enim dicunt.*

cccc-

ceceses, tamquam virgines divites ac pulchras, procos facile inveniunt. Audiamus iudicium de hac re *Francis. Petrarca de remed. utr. Fort. dial. 107.* Solebant, inquit, primi ex hoc statu ad martyrium peti: nunc ad delicias vocari credunt, ideoque certam hic locus appetitur, & huc omnium forme mortalium vota suspirant. Et, paucis interjectis: ad quod olim consueverant & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt, ut non Christianus pudor ac modestia videatur, sed ardor & perverbia paganorum &c.

(2.) Eadem est enim vocationis ac promissionis ratio, ex qua nulla obligatio nascitur, nisi accesserit acceptatio.

(3.) Hæ autem varii generis esse possunt. E. G. ætas decrepita, valetudo adversa, tutela necessaria & prægravis &c. Munus autem Episcopale ipsum per se assiduitatem postulat.

(4.) In paucitate nimirum subjectorum idoneorum, &

vbi inter omnes vnus aliquis qualitates, Ecclesie maxime profutura, videntur eminere. Qui tamen casus, quamvis dabilis, haud facile erit expectandus.

(5.) Compelli aliquem posse ad munus Ecclesiasticum, existimat *Brunnemannus de J. Eccles. L. I. Cap. 5. §. 13* ratione ducta a muneribus publicis: quæ imponi, inquit, invitis posse manu pratoria, iuris tractatitii est; Munus autem Ecclesiasticum æque esse necessarium. Exemplum ita coacti ad Episcopatum adducit *Ambrosii*. Quam nos sententiam lubentes suo relinquimus loco. *Zieglerus in tract. de Clerico veniente §. 89.* mitiorem in modum hæc de re verba faciens: *Hæc coactio, inquit, non est herilis aut violenta, adeoque nec proprie dicta.* Et paulo post: *Invitus enim dicitur, qui malit non ordinari; qui cum aliqua animi molestia ad altare ducitur; qui egre persuaderetur, ut munus delatum suscipiat &c.*



§. XIV.

**A**Tque sic rite peractam vocationem sequitur regia confirmatio (1.). Tandem ordinatio seu consecratio accipitur (2.). Pallii cum sumtuosi ab, ita dicta, sede Apostolica Romana redemptio (3.) dudum cessavit.

(1.) Ea fit, quando nominatorum vnus aliquis, regio diplomate, vacanti sedi praeficitur, de qua vid. *not. tit. ad § 10. supra.* Constituuntur autem Episcopi a Regia Majestate cum consilio Senatus pleni, vid. *Reg. Form. § 40. in princ. & fin.*

(2.) Est autem haec nihil aliud, quam solennis per predicationem verbi divini, preces, hymnos gratiarumque actiones peragenda ritus Ecclesiastici celebratio; qua legitima ordinandi vocatione & constitutione testificata, sacrum ei manus Episcopale, impositione manuum, in nomine S.S. Trinitatis ab Ordinatore publice traditur. *Cap. 21. R.R. Ord.* Secundum Jus Canonicum

ordinatio a duobus vel tribus Episcopis peragi debet, vid. *C. 1. De quo autem numero Constitutiones patriae silent; Nuncupatur tantum Ordinator; Nec tam necessaria plurium praesentia Episcoporum in consecrationis actu esse videtur: Lågandes sedan, tillika med the andre Biskopar NB. eller Präster, som thes hos äro &c. vid. loc. cit. R.R. Ord.* Quod ordinandus, antequam consecratur, iurejurando solenni se ad fidem Regi & Ecclesiae debitam adstringere, consuetamque fidei confessionem edere debeat, vid. *R.R. Ord. Cap. cit. § 2. & 3.*

(3.) Vsum & autoritatem pallii valde necessariam venditant

E

ditant Pontifices, utpote quod, de corpore beati Petri sumtum, pastoralis officii plenitudinem designet, vid. *J. P. Lancelot, Instit, J. Can. L. 1. § Bahm, J. Eccles. Protest. L. 1. b. 1.* Ex quo, sicut ex multis aliis, callida & inexsatiabilis eorum avaritia elucet. Si enim tantæ necessitatis olim fuerit Archiepiscopis hocce pallium, cur non petentibus gratis dederunt? aut cur non minoris vendiderunt tam sacram mercem? si alias sacra debere venalia haberi credere fas est; Cur hoc non domi, ex indulgentia tamen Papæ, confici & comparari potu-

it? Nam agre videtur alicui posse persuaderi, beatum Petrum tot habuisse pallia; aut sanctitatem omnem adeo prorsus soli Romanæ sedi adhæsissè, ut alibi frustra quæreretur. Vix credi potest, quanta auri argentique vi Sveciam emunxerit hac ratione Papa. Quotiescunque enim novum creari contigit Archiepiscopum, marcis 559<sup>7</sup> argenti puri scilicet, h. e. exponente Oernhielmio, quater mille quadringentis septuaginta quatuor thaleris Imperialibus, pallium hoc redimendum fuit, vid. *Hist. Ejus Su. & Goth. Eccles. L. 4. Cap. 5. p. 511.*

### §. XV.

**S**equitur, ut, quinam sint electionis, legitime factæ, effectus, paucis observemus. Hi autem varii generis sunt. Alii enim sunt muneris officiique Episcopalis, & juribus comprehenduntur ordinis (1.) atque jurisdictionis (2.); Alii autem Privilegiorum Episcopaliū. Horum quoque effectuum plerique communes sunt omni-



omnibus Episcopis ; Nonnulli certo cuidam Episcoporum gradui competunt ; Id quod ex dicendis infra patebit.

( 1. ) Ordinis nomine functiones ejusmodi intelligimus, quæ vi ipsius ordinationis Episcopo, haud quidem jure divino, prout delirant Pontificii, sed humano ex instituto, competunt. Quæ de eadem hæc *re n. 1 ad. § 3.* supra breviter monuimus, repeti hic possunt.

( 2. ) vid. *Rönl. Förord. om Rätteg. uti Domus Capitel 1687. § 4, 18 & 21.* Abusive jurisdictionē hanc dici, Jurisque Civilis Conditores vocabulum *audien-*

*tia* substitutum, malle, *Strykius in Supplem. ad Brunnem. 7. Eccles. L. 1. Cap. 6. memb. 12. p. 220.* monet. Nos vero, de nudis terminis nequaquam litigantes, factis habemus, dummodo concedatur nobis, nihil hic esse, quod jurisdictionis naturæ repugnat ; Quin imo, nota est omnibus distinctio inter forum Civile & Ecclesiasticum, *werltzlig och andelig Rätt, R. S. Ordin. Cap. 15. § 1.* Quale autem, quaeso, forum absque jurisdictione ?

#### §. XVI.

**A**D jura itaque ordinis referimus, Episcopis propria, jus candidatos ministerii examinandi ( 1. ) ; Ordinandi ( 2. ) ; Beneficia Ecclesiastica ( 3. ) in Ecclesiis, uti appellantur, Consistorialibus ( 4. ) conferendi ; Paroecias dioecesium suarum visitandi ( 5. ) ; Jus Synodos convocandi ( 6. ). In quibus fere singulis, quam-

vis jure meritoque nonnihil sibi autoritatis Capitulum tribuat quoque, Episcopus tamen peculiarem partem sibi vendicat.

(1.) Hoc jus competit Episcopo cum Consistorio conjunctim, R. R. Ord. Cap. 19. §. 2. Quibus in scientiis institui hoc examen debeat, præscribitur *ibid.* cfr. Rgl. Bresl. af den 21. Jan. 1682; den 2. Aug. 1693; Rgl. Matrits Resol. på Præst. Besw. 1723. §. 6. Peritiam quoque Juris Ecclesiastici in Candidato Ministerii desiderat Rgl. Resol. på Præst. Fråge punct. den 4 Julii 1689. §. 5. conf. not. 5. circa finem ad § VIII. supra. Et quidem adducta loca non in eruditionem solum, sed vitam quoque Candidati videntur inquirendum. Atqui examen hocce non obiter, sed diligenter & cum rigore quodam instituendum: Constitutio enim Eccles. l. cit. hoc vocat ett alswars samt förhör. Optandum quidem esset, ut hoc satis cu-

rate ab iis observaretur, ad quos ea res pertinet; sacroque a ministerio arcerentur ii, qui ad id sustinendum parum sunt idonei. Quod si unquam fiat, certe florentem magis & felicem ecclesie statum, quam prout nunc est, sperare licebit.

(2.) Ordinationis ritus, non obstante graviore necessitate, in æde sacra ab Episcopo, eo modo, quo jubet *Constitutio Eccles. Cap. 21.* peragi debet. Est hoc quidem munus proprium Episcopi; ita tamen ut, ubi necessitas postulaverit, illam officii sui partem alicui e Capitulo mandare posse videatur. Aliam esse rationem existimamus, ubi vacat diocesis Episcopo; Quare tunc, prout res tulerint, aut differendam tantisper ordinationem Ministerio



nistrorum, donec novus Episcopus fuerit constitutus, aut ab vicinæ diœceseos Episcopo interea petendam eam censemus. Ne vero Episcopi aliquem sine titulo ordinent, serio & pœnæ quidem sub comminatione interdictum est. vid. *S. R. Ordni. Cap. 19. § 6.* Idem quoque vetitum Jure Canonico deprehendimus, vid. *C. 1. C. 2. D. 70.* Quod ideo factum reor, ne, si iusto major excreverit eorum numerus, qui sacro ministerio initiati, absque vocatione aut munere fuerint, abeant tandem Sardi venales; vel, ut ait *Fleurius in Dissert. Prelim. T. 19. Hist. Eccles. ne tabernarios & caupones agant, malisque vacent artibus, cum non sint tot tituli & occasiones, unde honeste sustententur.* Quo ipso ministerium despectui & ludibrio facile omnium, non sine ingenti Ecclesiæ damno exponeretur. Post autem factam legitime ordinationem diploma seu literas

testimoniales ordinatis conferre debet Episcopus, vid. *S. R. Ord. Cap. 22. § 3.* At qui hic quidem pio Episcopo in primis convenit pleonexias omnisque turpis lucri esse abstinenti, Non enim alias tam luculenter committi simoniæ crimen, quam exigendo temporale aliquid pro ordine conferendo vel collato, putant *D. D.* Quæritur autem hic merito: Num in genere, sicubi Episcopus in conferendo ordine aliquid acceperit, potest aut debet simoniacum ac illicitum id appellari? Ea sc. communis est *D. D.* sententia, vbi a beneficiario, accepto beneficio, nullo præcedente pacto, quid vltro offeratur conferenti, posse absque crimine hoc accipi, donationem enim heic fere præsumi; Porro, a fœditate simoniæ quoque abesse, vbi honorarium aliquod, non pro beneficio quidem aut opere spirituali, sed pro animi atque corpo-

corporis labore, sumitur, vid. *J. Brunnem. J. Eccles. L. 2. Cap. 18. p. 553.* Tandem ea, quæ usu antiquo, & honesta consuetudine, vim legis habente, dari sueverunt (cum hoc pacto jam facta sint necessitatis) ex debito percipi existimat *S. Strykius in Supplem. ad Brunnem. Jus Eccles. p. 298.* Munera autem hujuscemodivel, si mavis, honoraria, num a nostratibus accipiuntur Episcopis, aut quo jure istud fiat, in medio relinquimus. Hoc certum est ac indubitatum, de iis nos nullum habere vel interdictum vel legem expressam. Quod si autem propter munera personam minus idoneam ordinaverit Episcopus: pœna depositionis omnino afficitur. *R. R. Ord. Cap. 24. § 15. conf. § 21. hujus Dissert.*

(3.) Jus constituendi ministros in Ecclesiis viduatis soli quidem Principi jure eminentiæ competit. Attamen, ne omnis circa hoc

potestas adempta Episcopis videretur: regia ipsis concessum indulgentia Ecclesiis quibusdam de ministris prospicere, *R. R. Ord. Cap. 19. §. 7. Wesserås Ordinant. 1527. R. R. Ord. 1571. R. Sigism. Górs. ang. Relig. 1594. Præst. Privil. 1723 Art. 16.* iis nempe, quæ nec Regales, nec patronatæ fuerint, *R. R. Ord. Cap. cit. §. 10. & 13. prorsus prout ante annum 1680 in usu fuit observari, Reg. Form. 1726. §. 40. Præst. Privil. 1723. Art. 16.* Sed nec Episcopo cum Capitulo circa beneficia Regalia & Ecclesias patronatas omne jus ademptum putemus; Vtpote quibus in iis jus competit personas idoneas nominandi, Ecclesiæ suffragia colligendi, Regiæque Majestati, adjectis iis, quæ forte monitu necessaria fuerint, insinuandi *R. R. Ord. Cap. 19. § 10. Præst. Privil. 1723. Art. 18.* Circa has vero, post factam a Patrono legitime vocationem & præsen-  
tatio-



tationem, Ecclesiam præ-  
sentato conferendi, R. R.  
Ord. Cap. cit. § 13. Kongl.  
Resol. på Udel. Bestv. 1643.  
§ 7. per literas nempe col-  
lationis, Udel. Privil. 1723.  
§ 7. quæ Inställelse Bref  
in Constitutione Eccles. Cap.  
cit. § 17. appellantur. Qua-  
re nec invicem confunden-  
dum jus Patroni cum eo,  
quod Episcopo circa con-  
stitutionem ministrorum Ec-  
clesiæ competit. R. R. Ordn.  
Cap. cit. § 13. Kongl. Resol.  
på Präst. Bestv. 1643. § 7.  
Enimvero Episcopi quicquid  
sit juris potestatisque con-  
stituendi Ministros Ecclesi-  
æ, haud tamen eo exten-  
dendum, ut Ecclesia istud  
fiat invita; quippe quod  
nullo non tempore ab om-  
nibus ubique, ipso etiam  
Jure Canonico, iniquum  
est habitum. Can. Nulla Ec.  
Dist. 62 C. vota Ec. 27. Dist.  
63. Ec. Manet enim Ec-  
clesiæ jus eum, quem ha-  
buerit dignissimum, sibi-  
que placuerit, vocandi pro-  
sus integrum, Präst. Privil.

1713. Art. 16. Rgl. Göröäl. 1611.  
§ 7. Sin vero in errore  
versetur Ecclesia de qualita-  
tibus personæ nominatæ,  
aliumque præferat Episco-  
pus digniorem: haud ea  
gravari debet in hoc Epi-  
scopi judicium sequi R. R.  
Ord. Cap. 19. § 7; quippe  
cujus in primis est curare,  
ut Ecclesiis idonei, docti  
piique ministri ubique sua  
in diocesi præficiantur,  
Präst. Privil. 1723. Artic. 16.  
Hinc quoque colligere  
licet, eum, qui inconsulto,  
vel profus neglecto Episcopo suo,  
ecclesiastica hæc beneficia  
per alios, quibus tale jus  
non competat, impetrare  
studuerit, non modo labo-  
rem omnem frustra impen-  
dere, verum etiam pœnas  
sua temeritatis promeritas  
dare debere, R. R. Ordn.  
Cap. 20. § 32. Präst. Privil.  
1723 Art. 17. Ec. De inve-  
stitura Ministrorum Eccle-  
siæ, legitime constituto-  
rum, vid. R. R. Ord. Cap.  
23. Ad Episcopum & Ca-  
pitu-

piculū pertinet quoque jus Sacellanos constituendi; ita tamen, vt vocatio parœciæ, necessario antecedere, nec Parochi, vbi æquum iudicatur, votum atque consensus, negligi debeat, *ibid. C. 19. § 9* Editui quo constituantur modo vid. *ibid. Cap. 24. § 31.* Episcopi quodnam circa hoc quoque negotium sit officium, vid. *Præst. Privil. 1723. Art. 7.*

(4.) Quanam Ecclesiæ ante annum superioris seculi 30 tales fuerint vel minus, inquirendum a certis deputatis, *Reg. Form. 1719. § 34. & 1720. § 40. conf. Kongl. Resol. pā Præst. Besw. 1668. § 3.*

(5.) Singulis annis instituenda visitatio, tam in Ecclesiis vrbicis, quam quæ rure sunt sitæ; Nec quilibet

anno vnā tantum, sed plures, & quot commode possit, Episcopus Ecclesias visitare debet. Hic quanam tractanda sint, quo modo, & quos sibi auxilii causa adjungat, plane præscribit *Constit. Eccl. Cap. 24. § 6. seqq.* Indicato autem tempore visitationis, illud observare tenentur omnes, qui legitimis absentię causis destituuntur, nulla habita ratione neque conditionis, nec personæ, *R. R. Ordn. Cap. sit. § 7. Rgl. Resol. pā Præst. Besw. 1643. § 3.*

(6.) Hi conventus itidem, vt visitationes, quotannis indicendi sunt habendique. *R. R. Ordn. Cap. 25. § 1.* Quanam heic tractanda & Episcopo observanda veniant, luculenter ibidem præcipitur.

### §. XVII.

**S**equitur alter electionis effectus, nimirum Jurisdictio Episcopi per totam suam diœcesin; Qua, vt Judex, omnes causas, ad forum Ecclesiasticum spectantes, cognoscit ac dirigit.



dirimit (1.) Potestas vero hæc judicialis (a) circa Religionem cultusque divini administrationem (2.); (b) circa causas in visitationibus atque synodis occurrentes (3.); (c) Personarum ecclesiasticarum in vita doctrinaque mores & errores (4.); (d) Lites tantum non omnes sponsalicias & matrimoniales (5.), versus etiam clavium (6.); Tandem (e), certo respectu circa bonorum ecclesiasticorum œconomiam (7.) versatur. Quæ omnia eo tendunt, ut ecclesiarum utilitas justo & decenti modo procuretur (8.).

(1.) vid. *Cap. 24. § 2. R. R. Ord.* cfr. *Söderdn. den 11. Februarii 1687 § 4. & 9.* Jurisdictio ecclesiastica, ut olim Papa, ita hodie Principis concessione Episcopis, dependenter tamen, est relicta. Quare limites sibi Constitutionibus regiis positos transire eis non licet. Locus, ubi juris dicendi causa conveniatur, appellatur Consistorium; sicut & Senatus ipse seu confessus eodem, vel etiam Capituli

nomine venit, *Söderdn. supra cit. § 4. & 5.* Hic autem Præsidem agit Episcopus, Adfessores habens reliquos Consistoriales, *ibid. § 1.* De processu hic usurpando vid. *ibid. § 19.* Norma vero, quam in iudicando sequi debent, est verbum Dei, Constitutio Ecclesiastica aliaque huc spectantia decreta regia, *ibid. § 6.*

(2.) Quæ tamen causæ, si majoris fuerint momenti, Sirz

Sua Ræ M:ris dispositioni sunt relinquenda. Förordn. om Procef. i Dom. Capitlen 1687. § 14, 24. R. ngl. M:ris Resol. uppå räst. Memorial den 27. Maji 1719. § 1 conf. tamen Rgl. M:ris Bref til Hofrätterne den. 8. Maji 1731.

(3.) vid. Förordn. 1687. § 15 visitationibus nim. non modo Episcoporum, sed iis etiam, quæ a Præpositis instituuntur.

(4.) vid. loc. cit. Jus Ecclesiæ Ministrum ad tempus suspendendi, vel ab officio penitus removendi, competit quidem Consistorio, R. R. Ordn. Cap. 19. § 13 R. G. Gust. Adolphs Förskift. 1611. punct. 7. Rgl. Br. den 6. Junii 1695. De ipso autem facto cognoscere & judicare debet Judex in foro Civili ordinarius, Rgl. Resol. på Präst Mem. 1719 § 1. cfr. 2. Cap. 12 § 7. Cap. 2. § 8 12. Cap. 1 §. Gistern. Bl. Qui tamen in antecessum ad Episcopum & Consistorium causam deferat, necesse est, quo aliquem con-

stituunt, qui circa processum in foro civili observanda Consistorii nomine observet, vid. Präst. Privil. 1723. § 24.

(5.) Causæ sponsalitiæ & matrimoniales partim ad forum civile, partim Ecclesiasticum hactenus spectarunt, vid. R. R. Ordn. C. C. 15. § 16. Quas tamen vigore novæ Legis nunc vendicat sibi Judex Civilis ordinarius, vid. Gistern. Bl. passim.

(6.) vid. R. R. Ordn. Cap. 10. Hanc potestatem inter jura ordinis referunt alii, vid. Brunnem. J. Eccles. L. I. C. 6. Memb. 12. § 2. Cur autem nos eandem in jurisdictionis juribus ponamus, hanc rationem habet: quod vocando in jus peccatorem, causamque cognoscendo, aliquid instar judicis; exclusionis vero pœna ad certum tempus a prærogativis Ecclesiæ, executorem videtur agere Episcopus. Quod si nihilominus in impietate sua perseveraverit: ad Regiam Majestatem causa refer-



referri debet, antequam ad excommunicationis sententiam veniatur. R. R. Ord. Cap. 10. §. 2. Rg. Sigism. Gers. ang. Relig. den 16 Martii 1594.

(7.) In caussis œconomicis templorum, scholarum Xenodochiorum que non jurisdictionis quidem, sed tamen inspectio & directio competit Episcopo, R. R. Ord. 1686. Cap. 24. §. 4. & Cap. 26. ibid. conf. Præst. Priv. 1723. Art. 5. Landzhöfd. Instruct. 1723. §. 22. De harum rerum cura in Ecclesiis patronatis, vid. R. R. Ord. Cap. 19. §. 13 in fin.

(8.) Hoc ipsum Episcopo- rum singuli, in tua quili-

bet diœcesi, observare debent: Extra eam nihil dictorum jurium exercere valent. Soli autem Archiepiscopo competere videtur cura per unversum Sveciæ Regnum, ubi id exegerit necessitas, providendi, ne aliquid res Ecclesiastica detrimenti capiat. Rg. Sigism. Gers. ang. Relig. den 16. Martii 1594. Præterea, si acciderit, ut nova in Ecclesiis publica præcationis formula opus fuerit: eius prototypum cum Consistorio Ecclesiastico designare ad Archiepiscopi quoque officium pertinet. R. R. Ord. Cap. 12. §. 2.

§. XVIII.

Superfunt jura quædam particularia, magis honorifica, quam onerosa: Qualia sint Pro-Cancellariatus in Academicis (1.); Nec non partes in vñctione atque coronatione Regum potissimum Archiepiscopi (2.) Particularia hæc jura vocamus, quippe quæ non ab omnibus, sed quarundam saltem diœcesium Episcopis exercentur.

F 2

(1.)

(1.) De jure & officio Pro-  
Cancellarii vid. *Constit. Acad.*  
*de A. o. 1655. memb. 2.*

(2.) vid. *Cap. 7. Kon. Bl.*  
*L. L.* Nu tha Konunger wil,  
tha skal han i Upsalum wis

ghias och lednas, eller och  
annarstadz i Rike fino efter  
willia och fallom sinom: NB.  
Tho af Erchebiscope halst,  
for wårdoghet bäggia thera.

### §. XIX.

**E**X dictis adparere arbitror, quam sit Epi-  
scoporum non modo illustre atque am-  
plum, sed & arduum ac assiduum munus. Qui-  
bus itaque rebus (1.), ut & singulari erga  
Clerum clementia moti (2.), Privilegia & im-  
munitates haud vulgares eisdem concesserunt  
Principes Sveciæ gloriosissimi (3.). Quæ jurium  
quoque Episcopaliū non minimam partem fa-  
ciunt.

(1.) Ne scilicet inter mu-  
neris gravissimi curas, ini-  
quitate forsitan temporum  
variarumque calamitatum  
enervati succumberent one-  
ri, hisce velut erigere eos  
solarique voluit gratiosa  
Principū munificencia. *Sren-  
gues Herredags Best. 1529.*  
*Rat. Resol. på Präst. Bestw.*  
*den 24. Decemb. 1652. punkt.*  
*i. Kol. Görsk. 1672. § 7.*  
*Präst. Privil. 1723. Art. 7.*

(2.) vid. *Rgl. Görsk. 1611.*  
*Präst. Privil. 1723. in pre-  
fat.* Sed in primis *Kongl.*  
*Resol. på Präst. Bestw. den*  
*4. April. 1647. § 2.* ubi hæc  
occurrunt verba: *likväl för*  
*den nådige affection, som*  
*Kongl. Maj:tt i synnerhet*  
*bär til det Andeliga Ståns*  
*det, & paucis interjectis:*  
*af särdeles gunst och nådhe*  
*bewillia: &c.*

(3.)



(1.) vid. Privilegia Episcoporum & Clericorum de eademque aucta & emendata *Art. 1723*; Quibus hodie Annis 1647, 1650, 1655, 1675, dienum fruuntur.

§. XX.

**T**Ria autem ponimus hujusmodi Privilegiorum genera. Primum genus est dignitatis; quo non solum in ordine Clericorum Episcopi primum, verum etiam inter reliquos Regni ordines secundum omnino in consensu comitiarum solenni, locum obtinent (1.); Alterum est protectionis & patrocinii; quo non modo pro suis personis protectione gaudent regia (2.), sed & salarii titulo concessis donationibus, præbendis, prædiis & quocunque modo huc pertinentibus bonis libere ac inviolate fruuntur (3.); Ultimum est immunitatis; quo a certorum, tam realium, quam personalium, præstatione onerum liberi sunt ac soluti. (4.)

(1.) vid. Riksdags Ord. den 24. Jan. 1617. Reg. Form. 1634. § 45. Präst. Privil. 1723. Art. 25. Riksdags Ord. den 17. Okt. 1723. § 6. &c. lacessere impune licet. *Rg. Sigism. Stadsfäst. och Försät. ang. Relig. den 16. Martii 1594. Präst. Privil. 1675 & Privil. 1723. Art. 22. Adeo*

(2.) Vi cujus nemini injuriis vel realibus vel verbalibus, intuitu administrationis sui muneris, eos ut hujusmodi convictus criminis, pro circumstantiis facti, aut capite sit plectendus, aut aliis pœnis sub-

jici-

pendendus, *ibid.* conf. 31. *Cap.*  
23. *Bl.* L. L. 18. *Cap.* 8. §  
Missg. *Bl.*

(3.) *Præst. Privil.* 1723. *Art.*  
3. 4. atque hæc quidem  
bona, tam in vrbe, quam  
rure sita, sub immunitati-  
bus privilegiisque ordinis  
equitris, *Frelses frihet och*  
*wilfor* colunt & possident  
*Episcopi. ibid. Art.* 12. *De-*  
*cimæ* quoque, illis adsigna-  
ta, absque vlla deminuti-  
one mensuræ erogari de-  
bent. *Riksdags Best.* 1638.  
§ 5. *Resol. på Præst. Best.*  
1647. § 2. *Præst. Privil.* 1723.  
*Art.* 4. *Et.*

(4.) Distinctionem inter o-  
nera realia & personalia  
nemo ignorare potest: Il-  
la sc. bona alicujus immo-  
bilia; hæc vero personas  
tantum, pro quibus oneris  
aliquid est præstandum,  
respiciunt: *Episcopi*, in-  
tuitu ædium fundorumque,  
quibus in vrbibus, ratione

muneris, nec minus eo-  
rum, quibus in provinciis  
fruuntur, omnigena gau-  
dent onerum realium im-  
munitate, vid. *Præst. Pri-*  
*vil.* 1723. *Art.* 7 & 10. nisi,  
quando extra ordinem, ra-  
tione status ita exigente,  
ad vsus publicos aliquid con-  
ferre sponte voluerint, vid.  
*Riksdags Best.* den 20. *Nov.*  
1643. § 2. *Best.* den 7. *Dec.*  
1644. § 2. *Malme Recess.* 1662.  
*Riksd.* *Best.* uti *Halmstad*  
den 2. *Martii* 1678. § 5. *R.*  
*Best.* 1680. § 8. &c. iidemque  
pari modo a personali on-  
ere, *Mantalspenningar*,  
tam pro se, quam vxori-  
bus & liberis suis totoque  
famulatio immunes sunt.  
*Mantals Commiss. Instruct.*  
1693. § 7. Viduæ quoque  
illorum, quando tales  
transferunt, eadem libertate  
gaudent, *Cammar Collegii*  
*Be till Gouv.* i *Skåne* den  
2. *Dec.* 1699.

### §. XXI.

**D**enique, quibus modis hæc jura amittan-  
tur, paucis dicendum; Per ætatem qui-  
dem



dem non perdit jura sua Episcopus, nisi muneri renuntiet ipse (1.); Verum eorum jacturam facit, si quovis modo Ecclesie offendiculo fuerit (2.) nec admonitus sese emendaverit (3.); Nec non, si, potestate sua abutens, inidoneos ad ministerium & beneficia ecclesiastica promoverit, minusve dignos anteposuerit dignioribus; Propter negligentiam quoque, si malitiosa illa fuerit & pertinax, juribus suis privatur Episcopus (4.); Tandem mors, omnia solvens, huic juri imperat finem. (5.)

(1.) Si vero coadjutor eidem constituatur: certare-dituum Episcopatum portio huic in laboris primum cedit. *Regl. Resol. pã Vr. Besno. 1595. §. 3.*

(2.) In doctrina vel moribus, vid. *R. R. Ord. 1686. Cap. 24. §. 14. conf. Cap. 19. §§. 23, 25, 26. ibid.*

(3.) Gradus admonitionis

describit *R. R. Ord. Cap. 24. §. 14.*

(4.) vid. *ibid. §. 14. 15. cfr. Reg Form. 1720. §. 41.*

(5.) Nam sicuti munus & dignitas Episcopalis est jus personale, per electionem alicui conferendum, cfr. *§. X. supra*: ita ad haeredes transire istud nequit.

### §. XXII.

**V**ilitigator Episcopus officio amovetur, & jura sua amittit (1.). Sed vel oleo tranquillior litibus haud raro implicatur invitus: I-taque

taque de foro harum litium breviter tenendum: Episcopus in caussis religionem, officium, vitam quoque & mores concernentibus, forum habere privilegiatum (2.); In cæteris vero tam civilibus, quam criminalibus judicia sequi ordinaria (3.). Hæc jam fuere, quæ in diffusa hac materia, pro ratione instituti, in medium adferre potui. Quæ, ut benevolus Lector in meliorem partem interpretari velit, ab illius æquanimitate majorem in modum rogo atque expecto,

(1.) vid. § *præced.* n. 2.

(3.) vid. R. R. Ord. *Cap.* 19.

(2.) vid. R. R. Ord. *Cap.* 24.

§ 21. Förordn. om Rätteg.

§ 14. cfr. Rgl. För ordn. om

i Domus *Capit.* 1687. § 16.

Rättea. i Domus *Capit.* 1687.

Westersås *Ordinant.* 1527.

§ 15 Rg. Gust. Adolphs För

Stadg. *ibid* 1528. &c.

luf. 1611. *punct.* 7.

#### CORRIGENDA.

Pag. 22. lin. 29. pro necessariorum leg. necessaria. pag. 24. lin. 1. colum. 2. pro consideraretur leg. consideraretur. lin. 6. pro irreprehensibilis leg. irreprehensibilis. pag. 32. lin. 16. pro christianus leg. christianus. pag. 40. lin. 25. pro quilibet leg. quolibet.





## A L'AUTHEUR

De cette belle Dissertation.

**N**On sans bien du travail, quoi qu'on dise & qu'on  
fasse,  
Nul ne devint savant, ni parvint au Parnasse:  
Favori des neuf Soeurs, si cheri d'Apollon,  
VOUS voila tout brillant, dans le sacré Vallon  
Quelle joye, pour moi! car comme à Telemaque  
Du renommé Mentor VOUS m'imprimez la marque,  
En m'apprenant toujourns, par des bonnes raisons,  
A vaincre peu à peu, mes vives passions,  
L'amour du vrai honneur, de la vraie sagesse,  
De la civilité, & de la politesse;  
De plus, à faire le bien, à éviter le mal,  
A être d'un esprit très constant & égal.  
Tous VOS soins envers moi, pendant maintes années,  
Ont été continuels, & au jour la journée.  
Je souhaite, que Dieu benisse VOS travaux,  
VOUS conserve en santé, VOUS préserve de maux;  
Qu'il VOUS comble d'honneurs, de biens, & de la  
gloire;  
Que tous VOS bons desseins remportent la victoire;  
Vives, très cher ami, & content, & heureux!  
Ce sont, Monsieur *FROST*, mes très sincers voeux.

Votre très humble Serviteur  
BLEKERT LYBECKER.